



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Titvlvs IX. De Frigidis, & Maleficiatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

fanguineos, impediri non potest, eo quod dictum vnus de uocato nihil probat. Et idem est, si secundus deponens de veritate iurare vellet, quamuis secus esset, si plures deponent, se a pluribus maioribus id auduisse. cap. licet ex quadam de testib. Vel vnus tapium iuratus de visu & veritate deponeret: quandoquidem testimonium de veritate est probatio naturalis, & regularis, testimonium autem de auditu irregularis. Arg. cap. tua. de consanguinitate, & affinitate.

DECISIO XI.

Ex cons. 18. in Nouis, deest in antiq.

11 **C**onsanguinei illi solum censendi sunt, quando aut vnus ab alio descendit, aut ambo a tertio. Affinitatis vero primum genus hodie, solum impedimentum contrahendi matrimonium inducit. c. Non debet. de consang. & affinit. Quod primum affinitatis genus inter viros, & consanguineas mulierum cognatarum, & inter mulieres cognatas, & consanguineos viros solum contrahitur. Illud vero affinitatis genus, quod oritur inter viros, & mulieres cognatas ab affinis eorum: Et e contrario inter mulieres, & viros cognatos ab eorum affinis, genus quidem affinitatis est secundum, vel tertium, sed non primum, quod solum hodie impedimentum contrahendi Matrimonium inducit.

DECISIO XII.

Ex consil. 19. in Nouis, deest in antiq.

12 **S**upra consanguineam etiam in secundo gradu, cum promissione ducendi illam, quamuis Matrimonium maxime post Concilij Tridentini publicationem valide cum ea contrahere nequeat: dispensationem tamen querere, & obtenta, eam ducere tenetur. Impensas vero in dispensatione factas vtraque pars soluet; quod si obtineri non poterit, eam dotare obligatur.

DECISIO XIII.

Ex consil. 14. in Nouis, deest in antiq.

13 **D**otis incompetentia, tam mulieris nubendae, quam sororis eius, etiam per tertium supplenda, ob patris paupertatem, causa sufficiens est concedendi dispensationem, vt consanguineo suo nubat; paupertas autem patris, quae pro tali dispensatione obtinenda naturatur, non solum simpliciter, sed etiam habito respectu ad hoc, quod filias competenter iuxta suam conditionem dotare nequeat, attendenda est, cum non referat, quid de aequipollentibus fiat, aut dicatur.

DECISIO XIII.

Ex cons. 20. in Nouis, deest in antiq.

14 **D**ispensatio de contrahendo Matrimonio non obstante gradu aliquo consanguinitatis, cum supplicatione, quod ignorantes impedimentum contraxerunt Matrimonium, subreptis, & nulla censetur, si vnus sciret, aut scire teneretur impedimentum, etiam si alter ignoraret. Immo propter indiuisibilitatem, & vnionem Matrimonij, nec parti ignorantis prodest, sed si postea sciat, vterque reualidatione dispensationis indiget.

(Notandum, Authorem in hoc consilio contradicere sibi in consil. 14. de sponsal. in antiq. & consil. 3. de rescript. in Nouis, vbi docet dispensationem ad annexum, & inseparabile extendi, & dispensationem ab vno coniugum, alio ignorante, impetratam vtrique prodesse.)

TITVLVS IX.

De Frigidis, & Maleficiatis.

SVMMARIVM.

- 1 **D**iuortium ob coeundi impotentiam ante triennem cohabitationem fieri nequit, & matrimonium cum secunda ante factum non valet.
- 2 **O**rdinari potest ob impotentiam ab uxore separatus.

- 3 **S**padonum multa genera, & an matrimonium contrahere possint.
- 4 **I**mpotentia coeundi est impedimentum etiam dirimens matrimonium.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtrisque.

1 **S**iduo inter se Matrimonia contrahant, & cum simul per biennium & amplius, minus tamen triennio cohabitassent illud consummare non valent, vnde ab ordinario ob illorum impotentiam per sententiam impetrant, vt cum alijs Matrimonio iungi possint, & de facto vterque cum alijs matrimonio iunctus, filios procreat, matrimonium tale inuaidum est, & sententia diuortij inter eos ab ordinario facta, tanquam nulla & iniusta censeri debet eo quod licet quis maleficio impediri possit quoad vnā personam, quamuis non impediatur quoad aliam argum. cap. si per contrarias 33. q. 2. quia tamen tale impedimentum inter aliquos esse non praesumitur, nisi ex praecedenti cohabitatione triennali, sine facultate coeundi approbata, capit. laudabilem, & capit. vlt. de fili. & malef. Matrimonium cum secunda contractum, ob impotentiam coeundi cum prima, etiam post sententiam diuortij ab ordinario ante triennem cohabitationem cum similia latam non valet; sed redire tenentur ad simul cohabitandum per triennium, & experiendum impotentiam eorum ad inuicem, vt diuortium legitime fieri possit. d. cap. laudabilem, & cap. vlt. Potest tamen Papa super tali matrimonio rato, & non consummato cum priore ex iusta causa dispensare, ita vt secundum legitime ab vtroque contrahatur, maxime si matrimonium primum inter eos publice contractum non fuerit, ita Nau. in Man. c. 2. nu. 21.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 3. de corp. vitiat.

2 **M**atrimonium per verba de praesenti cum vnica, & virgine contrahens, si propter suam impotentiam coeundi matrimonium illud nullum & inuaidum fuisse, & esse declaratur, & femina, quae cum illo contraxit, cum alio contrahendi licentia data sit, iuste & sine vlla dispensatione talis ordinari sacerdos, & beneficia obtinere potest; quia talis nullo impedimento iuris naturalis, diuini, aut humani ab istis prohibetur. Neque enim bigamus talis censendus est, cum nullo modo bis, sed ne semel quidem matrimonium vere contraxit, & id quod semel contrahere voluit, & de facto contraxit ob legitimum impedimentum frigiditatis, vel maleficij naturae probatum, matrimonium verum non fuit; ordinum autem susceptionem impotentia coeundi non impedit, etiam si eunuchus & castratus sit, dum modo iniuste seipsum non absciderit, & castrauerit, vt propterea irregularis efficiatur. cap. si quis abscidit, cap. eunuchus & cap. si quis in infirmitate. d. 55.

DECISIO III.

Ex cons. 3. alias 2.

3 **C**um impossibilitas coeundi, & habendi copulam carnalem matrimonium nullum reddat cap. quod autem. d. ecce 27. q. 2. & cap. fraternitatis & c. si de frig. & malef. eo quod matrimonium constare non possit sine copula potentiali quamuis sine copula actuali esse possit: ca. B. Maria. 27. q. 2. Inde est, quod communiter spadones, qui carent testibus, vel quia naturaliter sine testibus geniti sunt, vel quia in pubertate, & ante matrimonium castrati, & obsecsi sunt, vel quia sunt Thlasia, quibus testes facti sunt, siue Thlasia, qui eos habent attritos, si virgam arrigere, aut intra vas debitum coire nequeant, ad matrimonium contrahendum omnino inepti sunt, & si de facto contrahant, inuaidum censeri debet. Sicut & senes illi impotentes dicendi sunt, qui nec generare, neque adeo virgam arrigere possunt, vt genitalia membra in mulierum vulvas immittere valeant, qui ideo inter se contrahere nec debent, nec possunt, vt ait Scorus 4. d. 34. q. 1. & 2. Sin autem tales sunt spadones, vt virgam arrigere, & coire possint, quamuis nihil seminis in mulieru vulvas immittit, quia

quia tamen per huiusmodi coitum sedari, seu tolli, aut vitari possit tentatio, & periculum fornicandi tam in viro, quam in femina; & excicari utrinque valet humor, utrinque feminarius, ita ut eo exoneretur, etsi non tantum, quantum si uterque de more aliorum seminaret, verum inter se matrimonium contrahere possunt, cum huiusmodi matrimonii finem illum consequitur, in quem, quatenus est remedium, institutum est. Eodemque modo matrimonium cum semina nihil seminante, potente tamen semen viri intra suam valnam feminantis recipere, contractum validum est, & spadonem potentem intra vas debitum, illam ad id prouocare; ita quod etiam ipse per illam prouocationem exsicet suum humorem], quo calescit, & tentationem & passionem suam sedat.

(Notandum quamuis olim multi Doctores eam auctore, matrimonia spadonum & eunuchorum valida esse putarunt, saltem si femina sciens defectum consensit; Hodie tamen ex noua constitutione Sixti V. Quae incipit, Sixtus Quintus edita an. 1587 die septima Iunij ad Caesarem Hispaniarum Nuntium missa, ea nulla scripta, & invalida esse declaratur, prout in praedicta Bulla plenius explicatur.

DECISIO IV.

Ex conf. 3. in Nouis, deest in antiquis.

- 4 Impotentia coeundi impedimentum, est non solum impediens, sed etiam dirimens; unde spado ad copulam omnino impotens, cum aliqua contrahens, quamuis remanere possit ut frater, & foror, nullatenus tamen delectatione carnali, aut per oscula, tactus, vel amplexus, praesertim se poluendo, ut poterunt. ita Nauar. in Manu. cap. 22. numer. 60.

TITVLVS X.

De matrimonio contracto contra interdictum ecclesiae.

SVMMARIVM.

- 1 Matrimonium ne quis cum haeretica contrahat, a Papa praecipere possit.

DECISIO I.

- 1 Papa quamuis inhabilitate possit ad contrahendum matrimonium certas personas, inter quas iure naturali, Diuino, & humano matrimonium alias contractum tenet, an tamen conueniat, non facile est iudicare. At vero ut quis cum haeretica non contrahat matrimonium, praecipere potest, Arg. c. caue. & cap. Non oportet 30. q. 1. nisi aliqua circumstantia conditionum, personarum, locorum, vel temporum contractum adeo iustum facerent, ut tale praecipuum iniquum redderent. Arg. c. Non semper & c. Qui resistit. & cap. Iulianus. 1. r. q. 3.

TITVLVS XI.

Qui filij sint legitimi.

SVMMARIVM.

- 1 Filij nati eo tempore, quo inter parentes matrimonium impediatur, per clausulam, (Prolem susceptam, & suscipiendam) legitimantur.
2 Legitimus a Nuncio ad quacunque beneficia, non est ad regularia.
3 Religio habitat illegitimum ad ordines, non ad dignitates.
4 Acta praeterita licet a futuro euentu pendeant, per nouam dispositionem non tolluntur.

DECISIO I.

Ex conf. 1. deest in Nouis.

- 1 Filij fornicarij, qui nati, vel concepti sunt eo tempore, quo parentes eorum matrimonium inter se contrahere non poterant, per matrimonium subsequens non legitimantur; cap. Tanto. Qui filij sim legit. Sin vero contraherent per dispensationem daram, cum clausulas, (Prolem susceptam, vel suscipiendam legitimize reputantes) qualem Papa dare potest, tunc in radice matrimonij dispensando, & tollendo impedimentum matrimonij, etiam filij spurij, & antea nati legitimus; § 4. num. 7.

DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 1.

- 2 Laicus ab Imperatore legitimatus, & a Nuncio Apostolico ad ordines sacros, & quacunque beneficia dispensatus, si postea religionem approbatam ingrediar, & in ea professionem emittat, beneficia regularia, administrationes, & Dignitates regulares vi praedictae legitimacionis, & dispensacionis obtinere non valet; Sed alia maiori dispensacione ad eas obtinendas indiget; eo quod Imperator, aut Rex, ad spiritualia beneficia, & dignitates ecclesiasticas, aut regulares neminem legitimare, aut habitare possunt; cap. lege d. 10. & cap. per venerabilem. Qui fil. sint leg. & Nuncius Apostolicus dispensans ad beneficia, intelligi solum debet de beneficijs secularibus, non de regularibus, maxime si laicus secularis fuerit, quis, quando ab illo dispensacionem obtinuit, verbum namque qualificatiuum additum in literis beneficialibus, quod qualitates diuersas denotare potest, de qualitate impetranti congruente intelligitur. Arg. cap. cum de beneficio. de preb. in 6. Domin. & Fran. ibi. & defectus Naturalium & irregularitas ex eo procedens, qui per professionem tollitur cap. 1. de filijs presb. quoad ordines sacros tantum & non quoad Dignitates, & Praelaciones regulares intelligitur.

DECISIO III.

- 3 Religiosi facultatem, seu privilegium habentes, ut cum illegitimis ad beneficia, & officia ordinis obtinenda dispensare possint, tales ad dignitates sui ordinis non nisi praua dispensacione admittere valent, si defectus eorum sciunt. Neque sufficit electio, collatio, aut prouisi de Dignitate & Praelatione; Quia licet Papa conferendo aliquem dignitatem ei, quem ad eam inhabilem esse nouit, secum tacite dispensare censetur, inferior tamen dispensandi potestatem habens, ob hoc dispensare non iudicatur, nisi de facto, & expresse dispenderit. ita Innoc. & Pau. in cap. veniens de fil. presb. & c. diuersis fallacis de cler. coniug. & Nauar. in Man. cap. 25. num. 74. A superioribus autem Religionis semel verè dispensatus ad omnes ordinis dignitates, ad Episcopatum etiam, & Archiepiscopatum habilis efficitur.

DECISIO IV.

- 4 Si Papa motu proprio, & viua voci oreculo Generali ordinis mandet ne illegitimos ad dignitates admittat, per huiusmodi decretum dispensatio antea obtenta non reuocatur, nisi tenor talis Oraculi, vel Breuis id exprimat: Eo quod lex ad praeterita non trahitur; cap. fin. de confit. & Pan. & Felin sicut nec forma faciendis Testamentis data, Testamentum iam facta comprehendere censentur, etiam si testatores eorum viuunt, & nondum sint sortita effectum. l. iubemus. ca. de testamen. ut pari proinde ratione nec habitatio illegitimi ad dignitatem iam facta, licet nondum effectum sit sortita, per Mandatum de non admittendis illegitimis ad dignitates tolli dicitur, nisi Papa verbis manifestis illud exprimat.